



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 77. Quidam Judæus a Pio V. ad Christi fidem conversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

§. LXXVI.

**Diversum Romæ judicium de hisce  
sanctionibus.**

*Thuan. l. 39.* Verum non æque omnibus Romanis tot Constitutiones arridebant; eorum equidem nonnulli Papæ studium de prædicabant, alii vero eundem immoderati zeli arguebant: nec deerant nonnulli, qui hasce leges Pastorali officio, aut saltem Principis dignitati supremo Pontificatui annexæ contrarias esse spargerent, perinde acsi virtus, recta status administratio, atque ordinata disciplina non quamlibet hominum conditionem deceret, vel cum humanis dignitatibus conjungi haud posset: equidem Pontifex Pius V. de hisce variis sermonibus edocebat, nihil tamen de suo zelo remittens respondit: *Fidamus in Deo, quo auctore, ita nos geramus, ut gravior Romanis nostræ mortis, quam electionis sit mæror.*

§. LXXVII.

**Quidam Judæus a Pio V. ad Christi  
fidem converitus.**

*Præteolus in Annal. Eccl. Victor. apud Ciac. tom. 3. p. 997.* **H**oc item anno feria tertia Pentecostes Pontifex Judæum oppido divitem nomine Eliam, antea Rabbinum, seu sectæ suæ Doctorem sacro lavaero abluit. Ferunt, quod Pius V. adhuc Cardi-

Cardinalis saepius eundem ad ample-  
Sæcul. XVI.  
tendam veram Religionem hortatus A.C. 1566.  
fuerit, Judæus vero saepius reposuerit,  
se Judaicam superstitionem abjuratu-  
rum, si Michael Ghislerius ad supre-  
num Pontificatum sit evehendus: post-  
quam igitur hic idem sub Pii V. nomi-  
ne Sancti Petri cathedram conscende-  
rat, Judæum ad datae fidei suæ execu-  
tionem provocabat, cum ergo ipsamet  
Dei gratia Eliæ cor penetraret, ideo id,  
quod ore promisit, opere executus est,  
moxque sacro fonte tingi petens præsen-  
tibus Cardinalibus, ac pene innumeris  
populi multitudine Baptismum recepit,  
imo unacum eo ipsius quoque uxor,  
tresque ejus liberi, ac suorum Nepo-  
tum unus pariter lustrali aqua Chri-  
stiano gregi fuere aggregati: porro E-  
liæ dabatur nomen Michaelis, ipse au-  
tem Deus hujus Rabbini exemplo ad  
plures alios ad veram fidem adducen-  
dos utebatur, inter quos etiam hujus  
sectæ doctissimi unacum illo abjurata  
judaicæ superstitionis falsitate sese jugo  
Christi Domini mancipabant: Pius ve-  
ro Pontifex hujus Neophyti familiam  
amplis privilegiis auxit, atque ex ejus-  
dem prolibus unam adoptavit, insuper  
ut ceterorum Judæorum conversio fa-  
cilior redderetur, domum erexit, in qua  
illi

Sæcul. XV. illi fidei rudimentis imbui, ac Cath.  
A.C. 1566. chumeni enutrir possent.

## §. LXXVIII.

*Chios, seu Scio Insula a Turcis  
occupata.*

*Chalcond.  
hist des Tu-  
res tom. I.  
l. 14. p 66.  
Thu l. 39.  
Bofius hist.  
Jerosol.  
l. 36.*

Die decima quarta Aprilis Turcæ Chios insulam occuparunt, quæ ab anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto sub Genuensium ditione erat: equidem victores nonnisi præcipuam deprædabantur Ecclesiam Deo sacratam sub invocatione Sancti Petri, imo cuilibet vitæ gratiam fecerunt, eoquod nullus eorum furori resisteret, multas tamen alias impietas perpetrabant, ac præprimis cum Templum Divi Petri spoliarent, Turcarum quidam *ciborium*, ut vocant, in quo plures SS. Hostiæ reconditæ erant, profanis manibus contrectabat, & Præfulem loci rogabat, num hic Christianorum Deus, & illa suæ fidei mysteria essent, id cum Episcopus affirmaret, mox Turca ciborum in terram cum summo furore projicit, ad quam impietatem præful incredibili dolore percussus, statim flexis genibus projecta colligebat, inquiens: me prius, oro interfice, quam hæc SS. Mysteria pedibus conculcari videam, unde commotus est vehementi Præfulis affectu bar-

barus,